

dus in latere respectu quorū angulus cōmunis latitudinem Lunæ adducit,  
 quam æquabis per partem proportionalem ad 60 minu. si opus fuerit.  
 Hæc autem latitudo dicitur septentrionis ascendens, si argumentum lati-  
 tudinis Lunæ æquatū fuerit minustribus signis cōmunibus. Quod si fue-  
 rit à tribus signis ad usq; sex signa, erit dicenda septentrionalis descendens.  
 Si uero præfatum argumentum habuerit plus in signis quàm sex, minus  
 tamen quàm nouem, meridionalis descendens appellabitur. A nouem au-  
 tem signis usq; ad duodecim si dictum concreuerit argumentum, tunc  
 præinuenta latitudo meridionalis ascendens denominanda esset. Si ue-  
 ro argumentum Lunæ æquatū fuerit 0 sig. uel 12 præcisæ, tunc Luna est  
 in capite draconis. Si uero fuerit 6 signorum præcisæ, tunc erit descensus e-  
 ius ab lq; latitudine, essetq; in cauda draconis, si deniq; prædictum argu-  
 mentum fuerit præcisæ trium signorum, tunc Luna habet septentrionalē  
 latitudinem, & potest dici ascendens respectu latitudinis immediate præ-  
 cedentis, & descendens respectu latitudinis immediatæ sequentis. Simili  
 modo est dicendum, dum argumentum sæpe dictum fuerit præcisæ 9 si-  
 gnorum, tunc enim Luna habebit latitudinem meridionalem, & uoca-  
 bitur ascendens & descendens respectu diuersorum, ut supra. Si autem sci-  
 re desideras an Luna in superiori uel in inferiori parte sui epicicli discurrat,  
 argumentū Lunæ uerū animaduerte, quòd si minus fuerit q; 3 sig. & 5  
 gra. uel plus 8 sig. 25 gra. tunc Luna erit in superiori parte epicicli, ac tarda  
 cursu, nam eo casu gradus & signa cadunt supra paragraphum circa æ-  
 quationem maiorem argumenti positum. Si uero argumentum Lunæ ue-  
 rum, fuerit plus tribus signis, & 5 gra. aut minus 8 sig. 25 gra. profecto,  
 tunc Luna in parte sui epicicli inferiori commorabitur, eiusq; argumentū  
 sub paragrapho clauditur, eritq; uelox cursu. Si etiam dictum argumen-  
 tum fuerit 3 signorum aut 9. erit Luna cursu æqualis. Idem comperies dū  
 eius motum uerum diurnum comparaueris 13 gra. 11 mi. quibus si fuerit  
 æqualis, erit cursu æqualis, si minor, tarda, & de quanto maior, de tanto  
 uolocior. Exemplo sequente magis te iuuabis. Volo inquirere, latitudi-  
 nem Lunæ ad tempus supra dictum ad qd uerus ipsius motus est 11 sig.  
 26 gra. 55 mt. 40 secund. medius autem capitis motus ad idem 10 sig. 28  
 gra. 35 mi. 26 secund. quibus coniunctis, oritur argumentum latitudinis  
 Lunæ uerum 10. sig. 25 gra. 31 mi. 6 secund. quo mediante de tabula lati-  
 tudinis Lunæ istam extraho latitudinem 2 gra. 51 mi. 57 secund. cuius dif-  
 ferentiam ad immediate sequentem multiplico in residuum argumenti la-  
 titudinis, nascitur pars proportionalis 2 mi. 14. secund. quam aufero de la-  
 titudine præinuenta eo quòd sequens angulus sit minor præcedēte, & resis-  
 duatur latitudo Lunæ æquata. 2 gra. 49 mi. 43 secund. Cum autem uerum  
 argumentum latitudinis Lunæ ultra 9 sig. se extendat meridiana pronun-  
 tiabitur ipsa, ascendensq;.

De